

reges et mundi principes, qui vel regiminis dignitate sunt prediti vel ad regnantium solia per legitimos tramites regularitate aspirant, de te tamquam dilectionis integritate precipuo supremam spem immo fiduciam habeamus. Pro generosis itaque circa nostra negotia tue circumspectionis interiecte processibus, preter gratiarum uberes proinde tibi debitas actiones, imperialis plenitudinem gratie, que tamquam virtutum speculum orbi quaslibet dignitates irradiat, per cuiusdam unionis quodammodo vinculum exinde tibi strictius obligamus. Quod autem pro reformatione pacis inter Romanam curiam, sacrosanctam ecclesiam scilicet⁴, et sacrum imperium, ex qua sitientibus populis universalis expectatur provectura tranquillitas, boni communis avidus nostrique zelator honoris, cuius non minus agitur interesse quam nostrum, personam mediatoris legitimi fiducialiter assumpturus ad papalem curiam te velle procedere, si de beneplacito nostro procederet, obtulisti; tuum laudabile gratificando propositum cautelam volumus te habere in predictis, quod faciem voluntarie procedentis et ex causis aliis invitati, non cuiusquam suasionem commoniti, pretendere videaris, ne, si forte nostris applausibus ad id connitereris inductus, iam de nostrarum debilitate virium, que in omni iugiter vigore tripudiant, adversariis nostris de facili causa superstitionis materia preberetur. Futurum processum verumtamen sic moderari debere te vidimus, ut derelicto quodammodo vulnere, ubi nulla dudum, pro dolor, medicina profecit et multorum frustra studia laborarunt, salubre utinam ad honorem Dei et ecclesie exaltationemque imperii et totius populi Christiani salutem adhibere studeas medicamen, tecum prudenter ac strenue primo discutiens, si sit infirmitas susceptiva remedii, ne, si, quod absit, morbus⁴ forsitan te medente putresceret, personam medici te tedeat assumpsisse. Ad id autem quod, ut salubrius super hiis procedere valeas, aliquem, qui de nostris progenitorumque nostrorum iuribus et de presidis Romani pontificis et eius predecessorum actibus te plenius instruat et informet, ad te de curia nostra dirigi postulabas, ecce, G. de Ocra⁵ beneplaciti nostri conscium et super omnibus sufficienter instructum in occursum tuum providimus destinandum, cum quo super singulis, que contingunt negotium, deliberatione prehabita, quicquid tibi et cetera.

a) silicet Cod.

⁴) Mit der Krankheit ist zweifellos die Lombardenfrage gemeint; vgl. den Brief Friedrichs II. vom August 1244 BF 3434: quod si latenti morbo, videlicet de negotio Lombardorum, medicina non esset apposta, pax omnino procedere non valeret (Huillard-Bréholles 6, 214).

⁵) Über Walter von Ocra oben S. 90 Anm. 17.